

Nem ipsius humoris qui tingere debet urinam, ubi uero colores prosequimur, qui ex mixtione sunt, frigiditas non debet assignari ut causa. Atque hec satis quidem de caulis albarum urinarum.

De causis Vrinae subpallidae, pallide & subflavae, flavae; subruffae & rufae.
Cap. IX.

Hos colores in urinis credunt nonnulli fieri ex sola alteratione partium, inter quos sunt nonnulli scriptores, & potissimum Medici Florentini: qui cum uident urinam tinctam aliquo ex predictis coloribus, aut etiam rubro, petunt ab egrotis an diu in uesica retineat urinam, tanquam ex huiusmodi mora predicti colores conciliari possint. Quod quidem est absurdum, nam huiusmodi retentiones deberent id facere in omnibus, quod non appareat in sanis & aegris. Vbi enim humor miscetur cum urina, siue parum siue multum in uescicam continetur: vrina semper eundem colorem obtinebit, alioqui cur aqua ex ignis fero non recipit alios colores quam habebat frigida? Fiunt ergo predicti colores ex mixtione alicuius humoris: verum non constat quisnam humor miscetur, an unus semper vel diuersus. Montanus, & ferè omnes qui de vrinis scripsérunt, tradunt predictos colores omnes a bile fieri flava diuerso modo mixta cum vrina. Nam subpallidas fieri vrinas cum minimum bilis miscetur, pallidas cum paulo plus: subflavas & flavas, deinde subruffas & ruffas plus eiusdem coloris capere. Ego vero non hoc modo, sed partim ex diuersa bile diuersos fieri colores arbitror, partim vero mutata quantitate non cuiuscunq[ue] bilis in quocunque colore, sed in eo qui remissior est diminuta bile, quæ intensiorem habet colorem. Nam quomodo, quæ so, a pallida bile fieri unquam potest subflauus calor, flauus, subruffus & ruffus. quod enim pallidum est, nunquam inducere potest nisi pallorem, non autem intensiores colores. Ergo uno modo fiunt hi colores, quando miscetur bilis, quæ similem habet colorem, qualcm in vrina conspicimus. Quum vero bilis flaua in parua quantitate miscetur cum vrina ad mixtionis portionem subpallidam & pallidam eam reddit: quoniam rationi consonum est intensiores colores remitti, quum non seruatur proportio cum liquorē cui miscetur; & quanto intensior est colori ipsius bilis, tanto minor sufficit illius quantitas. Gradus enim bilis ruffæ, idem forte praestabit ad pallidum colorem indicendum, quod prastare possunt duo bilis subflavae. Fit ergo pallida vrina non simpliciter a paucâ bile, (vt alij docent) sed a bile pallida multa, vel non minus quam in mediocri quantitate mixta, aliter subpallidum reddet, vel ex flaua aut alia quæ intensiorem habet colorem, in parua quantitate absumptam. Subruffam & subflavam pro eodem sumit Galenus primo de Crisibus, cum utramque dicit esse sanguinem vrinam, & dicit eas fieri ex parte sanguinis subtiliore ac serosa, vel bile ruffa mixta sero. Verum vt urinæ illæ diuersum habent colorem, ita temperati hominis esse nequeunt. Subruffa enim intensiorem habet colorem quam subflaua, nec potest aliqua ex illis ex sanguinis parte fieri. Nam sanguis cum vrina non miscetur in bene valentibus: aut certe si miscetur ad renum nutritionem, non tam cum vrina ad vesicam fertur & illam tingit. Verum quidem est bile nonnunquam fieri ex subtiliore parte sanguinis: sed quim adhuc est pars illa cum forma sanguinis, nequaquam tingit vrinas, sed D quum ex ea iam genita est bilis: at tunc sanguis amplius non est. Fier igitur subflaua a bile ruffa, in parua quantitate mixta, aut a mediocri quantitate subruffæ. vt enim ruffa, sic subruffa bilis in nobis significatur. Eodem modo subflaua vrina a subflaua bile mediocri, non autem a multa (vt Auicenna scribit) fit. Quod si ruffus color ad albedinem magis vergit, quam flauus, sicut talis color vel a ruffa bile, vel a minore copia flauæ. Quare errant qui vel a flaua duntaxat, vel a ruffa bile talem colorem in vrina prouenire putant: hoc enim, vt diximus, debet esse principium? Vrinas capere colorem vel a simili humore, vel ab eo qui intensiorem habet colorem, in minori quantitate admixto. Et magis adhuc fallitur Montanus, qui subruffam vrinam ait fieri nunc ex sanguis portione, & non ex bile admixtione; nunc vero in ea vrina ait non misceri sanguinem nec bilem, sed esse puram aquositatem, quæ solum tingitur a bile. Sed dicat, quæ so, quomodo tingi possit a bile, si hæc cum illa non miscetur? An forte ex solo contactu, & a fricatione tinctura hæc fit? quo modo carbonarij alios inficiunt nigro colore. At res friabiles vt bilis, sine mixtione id facere non possunt. Ergo diuersitas colorum, qui fiunt ex permixtione in vrinis, ad qualitatem & quantitatem humorum qui miscentur, tanquam ad immediatam causam redigere oportet. Ex his enim licebit colligere, quid ab alijs causis fiat, in quibus re censem plus æquo alij scriptores versantur. Nam ideo temperati inter alias intemperaturas, subpallidas dicuntur reddere vrinas, quoniam pallidam bilem suapte natura procreant mediocrem: qui vero sunt frigidiores, candidiores; quia minus bilis procreant, & ea est aquosior & dulcior. Contra vero qui calidiores & sicciores sunt temperie, pro excessu caloris & siccitatis subflauam, flauam, & ruffam bilem procreant, unde tales quoque eorum sunt vrinæ. Et quia puerilis ætas dilutam gignit billem; ideo illeius ætatis pallidae esse non possunt vrinæ, quod adolescentibus accidit. iuuenes vero easdem reddunt subflauas & flauas, quia huiusmodi bilem reddunt. Ad proportionem vero ætatum se habet sexus. Nam virorum vrinæ coloratores sunt quam quæ redduntur a foeminis. Quies, quia frigidiores reddit